



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.33. Urbani IV obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII. magnos exhibuit honores, dein Adriano-  
A.C. 1264. politanam sedem, ac denique Constanti-  
 nopolitanam tribuit. Germanus eo  
 translatus est die Pentecostes 8 Junii  
 anno 1264.

## §. XXXIII.

*Urbani IV. obitus.*

*Rayn. n. 31.* **P**apa biennio Urbe Veteri permanerat,  
 70. ubi plerasque litteras suas dabat. Sed  
 hoc anno, cum Urbevetani contra ipsum  
 consurgentes castrum ad Ecclesiam per-  
 tinens occupassent, in lectica Peruliam  
 delatus ibi curriculum vitæ confecit die  
 Jovis 2 Oct. 1264 postquam Sedem Apo-  
 stolicam tribus annis, uno mense, quatuor  
 diebus tenuerat. In æde cathedrali  
 S. Laurentio dicata terræ mandatus est.  
 In ejus litteris memorandum bonitatis  
 exemplum cernitur. Quo tempore Ar-  
 chidiaconus Leodiensis erat, Papa Inno-  
 centius IV. Lugduni commorans eum in  
 Germaniam misit quædam Ecclesiæ Ro-  
 manæ negotia curaturum. Illic tres No-  
 biles dioecesis Trevirensis comprehensum  
 aliquamdiu in custodia detinuerant, ad-  
 emptis ipsi equis, pecuniis, aliisque bo-  
 nis mobilibus. Deinde cum Romanum  
 conscendisset solium, illi restitutionem  
 ereptorum omnium, & pro injuria satis-  
 factionem obtulerant, id solum orantes,  
 ut

*Id. n. 30.*

ut ne per se ipsos absolutionem ab anathemate, in quod incurrissent, acceptum ire cogentur, periculisque itineris & hostibus, quos haberent, se exponere. Papa Confluentiam Priori Fratrum Prædicatorum scripsit, ac per eum fontes absolvit, se omnem injuriam sibi factam liberaliter ipsis coram Deo ignoscere declarans, injungensque tantum, ut ab ejusmodi violentia deinceps abstinerent. Dederat 9 Julii an. 1264. Post Urbani mortem sacra Sedes quatuor menses vacavit.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1264.

## §. XXXIV.

*Clemens IV. Pontifex Maximus.*

Interea Guidoni Fulcodio Cardinali Episcopo Sabinensi cum Legati Potestate in Angliam misso hujus aditum intercludebant Barones ac Episcopi contra Regem suum rebelles. Nec enim obsequabantur S. Ludovici sententiæ; atque instauratum bellum civile acrius quam antea flagrabat. Legatus igitur suspensus itinere Bononiæ urbe maritima hæere diu coactus eo quosdam Angliæ Episcopos cis mare agentes convocavit. Tum summi Pontificis autoritate omnes Anglos Regem suum armis persequentes anathemate perculit, urbemque Londinum & quinque portus Angliæ sibi præclusos interdicto affecit. Executione ut

*Matth. Westm. p. 397. 384. to. II. conc. p. 830. Mat. Par. p. 834. an. 1265.*

*Histor. Eccles. Tom. XXI.*

Ff trius-